DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
PERIODIS ACUTARUM, SINE CRISEOS EVENTU, EXQVISITIS.

Quam
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA,
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,
DN. PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDI,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia DOCTORALIA rite ac legitime capessendi,
d. Mart. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
Publicæ Eruditorum Disquisitioni sistet

MAURITIUS ANDREAS SULTZE,
BEROLIN. MARCH.

HALÆ MAGDEB. LITERIS CHR. HENCKELII



PROOEMIUM.



Uemadmodum de Medicina rectissime utique dicitur, quod superstructa esse debeat Experientiæ & rationi, ita cum tamen experientia non exiguo rerum numero ita innitatur, ut nisi illum satis exquisite conquirendo assequi contigerit, vana sit omnis spes boni successus in nexu illarum rerum inveniendo, quarum rationes investigare ita animo conceperis: Est proinde ante omnia necesse, ut talis investigatio instituatur, quæ hisce scopis ita satisfaciat, ut partim plenus numerus sine quocunque defectu, expleatur: partim ordo etiam nihil interruptus, mutuarum consecutionum, etiam simpliciter historice, & ut in ipso facto sese habere solet, sine ullo defectu observetur. Cum autem hæc res, observatio inquam rerum, uti revera ipso facto existunt & sese gerunt, non possit aliunde nisi è vivis exemplis, ex ipsa inquam Praxi clinica, oculari inspectione atque examinatione ægrorum, comparari; Interim non solum hominibus, qui exercendæ Medicinæ jam diu se addixerunt, non semper favet occasio, ut in numerosa Praxi versari

possint; imo vel in Praxi tali sœpe tamen usu veniat, ut non tam æque sub multis individuis ægrorum multas etiam species morborum reperiant: Tanto magis autem illi qui Medicinam perdiscere allaborant, hujusmodi experientia potiri minime possent: adeoque omni veluti fundamento destituti, ipsa demum Praxi initium discendi facere deberent. Sed non ita agitur cum rebus humanis, ut tanto periculo ægrorum unusquisque Medicinæ studiosus sibi demum propriam experientiam simpliciter conquirere necesse habeat; verum prostat utique à multis jam seculis farrago non exigua hujusmodi annotationum, quibus comperta non solum ab uno, sed à multis, imo plurimis eodem modo reperta, adeoque plurium seculorum jugi consensu confirmata, abunde instruere possunt discentes, ut nihil nisi applicare has observationes ad ipsa exempla sibi posthac occurrentia necesse habeant, pro confirmatione etiam propria experientiæ ab aliis fide dignis testibus acceptæ, consequenda. Sicut autem hoc intuitu, & vera tali harum rerum constitutione, ab omni humana ratione alienum esset, ab homine non plane bardo atque stupido exigere velle, ut ille per totam suam vitam, non solum in qualibet specie morbi, sed etiam per quælibet individua, quæcunque illa eadem specie laborantia ipsi numerosis vicibus occurrunt, toties quoties observationes instituat, ægro ad fastidium assideat, & nisi fastidiosis ejusmodi laboribus, de vera indole affectuum certior esse nunquam possit: cum certe in hoc etiam negotio, non solum dictante simplici ratione, sed etiam docente quotidiana penitus experientia, quisquis ad has res recte percipiendas, neque

tot

tot autorum annotationibus, à longiſſimo tempore ita factis, nec aliqua multa propriæ Praxeos obſervatione, pleraſque harum rerum non ſolum rectiſſime comprehendere, ſed etiam vel ad unguem, quod ajunt, pernoſcere non valet, ille tam à memoria quam â judicio ſine omni dubio ita in ſolidum ad has res ineptus ſit, ut etiam in ſeros usque ætatis ſuæ annos inhabilis maneat ad percipiendum veram talium rerum indolem & reciprocam diverſitatem: ita eſt tamen omnino etiam talis adhuc in affectib9 non ſolum multis, ſed etiam ſonticis omnino ita varia adhuc non ſolum diverſitas, ſed revera etiam difficultas, penitioris veluti eorum indolis, ut nec ab antiquitate ſatis exquiſite tradita aut exculta, nec propria poſteriorum induſtria ita ſufficienter elaborata ſit tota res, ut difficultates ejus decenter ſublatæ eſſent, aut genius verus tanquam de integro explanatus. In quo quidem genere offert ſeſe luculentum illud offendiculum, quomodo omnia ſimpliciter, & imprimis exquiſite, antiquitati tribuendo, nedum imperite penitus hoc ipſum ſuſcipiendo, quaſi neceſſario deinde lacunæ tales reſtant, uti ex illis nunquam explendæ; ita ſi inſuper propria obſervandi occaſio aut habilitas deſit, ne quidem usquam ſubodorando animadvertendæ. Non jam placet, nec omnino fert noſtri propoſiti ratio, altius in harum rerum commemorationem excurrere; interim brevibus etiam multum dixiſſe intelligent cordatiores, ſi pro latiſſime patente & ampliſſimo vere, harum rerum ſpecimine allegem ipſas FEBRES: utpote circa quarum indolem, etiam juxta nudam veram plenam hiſtoriam, nedum diſcretionem mutuam, aut ætiologiam denique, clini-

co-historicam solum, nedum physico-pathologicam, quam nihil ad rem dixisse videantur veteres, non solum magnæ, sed etiam præcipuum sibi arroganti recentiorũ cohorti, sunt utiq; documento manifesto, tam dissidia, uti quidem verbis maxime urgent hi ipsi tanquam è diametro passim à veteribus aliena: tum etiam multis locis atque modis à se mutuo quoque dissentientium horum ipsorum pugna. Neque tamen hanc quoq; in rem diffundi nobis est integrum, aliquid tamen, neque certe postremum, ex harum rerum censu desumere placet, SPECIMINIS INAUGURALIS loco, publicæ considerationi commendandum, nempe veram historiam & indolem λυσεως FEBRIUM ACUTARUM, ET PERIODI EXQVISITÆ, non stricto famoso sensu CRITICÆ.

Quod quidem negotium, non solum ad veram historiam, sed penitus ad veram Therapiam harum Febrium penitus necessarium ut condigne evolutum dare valeamus, divinæ veritatis benignissimam directionem & instructionem mentis nostræ, viriumque subministrationem, serio exoramus.

I.

FEbrium, imprimis vulgato nomine *acutarum* historia, & ex illa multiplex *divisio*, cum à Veteribus vel ut abundè tractata visa sit posteriorum ævorum successoribus; coorta cumprimis posthac aliunde, sed latissimè patente, simpliciter ad formulam præscriptam consentiendi veluti consuetudine: tam parum proinde porrò elaborata est in illis partibus, quæ à Veteribus planè luculenter traditæ, imò potius prolixe tractatæ, quin inculcatæ non repertæ sunt, ut vel ex hac una re decenter obser-

servata, tanquam ad amussim, deprehendi possit, quam strictè antiquissimis vestigiis inhærere cordi habuerint posteriores, dum absolute eadem methodo, qua illi Coryphæi, quicquid illi breviter & veluti strictim solùm memorarunt, hoc idem posteritas etiam, tanquam leviter solùm attingendo, persequatur; quicquid illi *diffusè* pertractarent, hoc idem hi quoque *prolixè* distrahant: Posset forte adhuc addi, quicquid illi *confusè* agitarent, hoc idem hi adhuc magis implicarent: Quod quidem de recenti schola medica etiam audacter asseverare integrum est.

II.

Ut confirmem quæ locutus sum, citabo *tria* circa hanc rem specimina. Nominat quidem etiam hic illic expressis verbis, tam *Hippocrates*, quàm imprimis *Galenus*, uno autem ore posteritas, *Febres acutas*. Interim habet *Hippocrates*, tum alibi passim indefinitam illam locutionem, οἱ ὀξέες, τὰ ὀξέα, quæ interpretes sine controversia de *Febribus* exponunt: sed profert insuper disertissimis verbis, libro *de victu in acutis*, circumscriptionem illam animi omni adversione certe dignissimam: τὰ ὀξέα τῶν νουσημάτων - - - ὧν οἱ πυρετοὶ - - - - κτείνονται &c. Jam cum illo ipso loco sermonem propriè habeat de talibus affectibus, quos usitatis simul nominibus ipsis describit, nempe re ipsâ *viscerum inflammationibus*; prudente verò animi discretione, utique, non solum facile dignosci possit, quod *inflammatio* & *Febris* sint res *diversæ*; sed etiam, quod *inflammatio* in *visceribus* longè majoris periculi, & certiùs omnino compos sit *funesti* effectus, quàm *Febris*, *quà talis*: potest inde facile certe colligi, quid voluerit intelligi *Hippocrates* per illam locutionem: *acuti morbi*, ὧν οἱ πυρετοὶ, *quorum*, cum quibus conjunctæ, quibus supervenientes, *Febres* utplurimùm *occidunt*. Dum utipue *Inflammatio* simpliciter & quà talis, *Febris* (loquimur autem de vero recepto sensu, *universalis commotionis*, non somniis quibuslibet,) consortium nequaquam infert.

fert.

fert. Cum autem *Febris*, qualis hujusmodi *internis* inflammationibus adjungitur, utique ſit evidentior ad ipſum ſenſum, quàm v. g. *lateris inflammatio*: factum hinc eſt non ſolùm, ut vulgus hominum *à potiori ſenſuali* faciant denominationem: ſed omnino etiam *Hippocrates* hac locutione diſertè τὸ κτείνειν apponat τοῖς πυρετοῖς: Cum tamen omnibus quaſi *ſenſibus* manifeſtius ſit, quod ille *lethalis* eventus, *inflammationis* malè cedentis, & diſſipationem reſpuentis, potiùs ſit, quam *Febris*; utpote qui omninò inevitabili ſucceſſu eventurus eſſet, talium partium inflammationibus *diſcuſſionem* non ſubeuntibus, & *puris evacuationi* minus idoneis, à mundificatione, & propemodum abſolute neceſſatia externa ope, velut abſolute alienis, ſi quàm maximè nulla *Febris* cum illis concurreret. Interim illud, quod adhuc circa hanc acceptionem à ſenſu rei ipſi verè innixo aliquatenùs diſſidens, certè à communi uſitatâ interpretatione & exquiſitiore acceptione, alienum, eſt hoc, quod appellatio *Acuti*, tanquam propriè ad *Febres* transfertur; cum ſatis, tam ex ipſa rei natura, quam è verbis *Hippocratis*, dilucescat, quod hoc *attributum* ACUTI, potius de illis νοσήμασιν dicatur, ὧν οἱ πυρετοὶ, *quorum ſunt* illæ febres. Ubi profectò non indigna eſt notatu etiam ipſa hæc res, quod *Hippocrates* hoc ipſo loco diſertis verbis eloquatur, quod illi *morbi*, *quos Veteres acutorum nomine complexi* ſint, *ſint tales* &c. Ubi cum hanc appellationem omnino à *Veteribus* acceperit, meritò locus adhuc eſſe poſſit dubitationi, an illi quoque revera pariter ita hoc ſenſerint, quod hic porro proloquitur *Hippocrates*, quod potius *Febres* iſtæ occidant, quàm ipſi morbi, quorum ſunt hæ *Febres*. Niſi quod utique errorem hujus acceptionis etiam illud maximopere foveat, quod utique omnes *Febres acutæ*, & *acuto tempore* lethales, ſint *cum inflammatione* conjunctæ: Quæ ſi radices non agat, aut ad periculoſum: corruptivum ſui effectum perveniat, Febres illæ etiam per ſe non ſint funeſto eventui obnoxiæ.

III.

III.

Interim autem ê vera harum rerum æſtimatione, manifeſtò utique dilucefcit, quod perperam tota acceptio Scholæ medicæ ſimpliciter hoc tribuat ipſis febribus, nempe τὸ κτεινῶδες; cum hoc nec ipſarum ſit *Febrium*, ſed *inflammationum internarum*: Neque, ſi *inflammationes* illæ, & earum *ſphaceloſæ* corruptiones, verè & in ſolidum abſint, ulla usquam *febris* ſpecies, ê reliqua ſua PROPRIA indole, & ſuâ quod ajunt *Eſſentiâ*, ſit κτεινῶδες. Ubi ſimul notari omninò meretur illa ſine dubio ex hoc ipſo Hippocratis textu, ſed omnino tamen tacitè, tranſſumta; applicatio nominis ACUTI, in ipſo cenſu *Febrium*, non ſimpliciter ad *exitum parvo temporis ambitu* circumſcriptum; tali enim intuitu eſſent utique ad *acutarum* ſummum gradum referendæ quælibet *Ephemeræ*, quod neminem adhuc Medicum feciſſe recordamur: ſed omninò ad exitum intrà *parvum temporis ambitum* FUNESTI EVENTUS compotem. Ubi tamen, per dicta, falſó imputatur *Febri*, quod eius *directæ* indoli plane non incumbit: imò potiùs, vera febris *Pathologiâ*, illi abſolute non convenit, ſed ab illa ê diametro alienum eſt.

IV.

Secundum ſpecimen nondum liquidò in tota ſcholâ Medicâ evolutæ, nedum conſtitutæ, *veræ indolis* Febrilis eſt *vera atque ſolida hiſtoria Clinica Criſeos*. De hàc enim ut ab omni antiquitate nihil niſi perplexa ad poſteritatem transmiſſa ſunt, *commenta* propemodum magis, quam *fragmenta* verarum conſtantium obſervationum, ita nemo, niſi qui pariter omnia neſciat, neſcire poteſt, quam perversè hæc res in hodiernum usque diem accipiatur â maxima Medicorum parte, etiam rerum ſuarum de reliquo, *ſolertia* æque vigili, atque *doctrina* & *experientia*, compotum: Nedum his omnibus rebus deſtitutorum. Sicut enim pro hac re verè explananda ſciendum erat, de quo ſubjecto *proprie* ſit ſermo? de quâ, inquam, *Criſi*; & de *quibus Febribus*, *talis* Criſeos compotibus: imò denique preſſius, quo *reſpectu*

ctu demum, quæcunque tandem fuerint tales *febres*, de illis propriè sit sermo: Ita certè, quamdiu quæstio universa non secundum hanc plenam *restrictionem* adornatur, nullam ejus, in veris terminis, etiam *solutionem* fieri, non potest mirum esse. Nempè hoc sensu, qui in hac quæstione versatur, sermo est de *Eccrisibus*, non solum *uno certo die*, imò in *verâ* sui *ἀκριβείᾳ*, *horis* omnino *certis*, *per peculiares evacuationes*, *simul & semel* contingentibus; sed etiam cum ita SALUTARI effectu, ut hoc ipso actu, morbus totus reverà *expugnetur*: & hoc quidem tantò certiùs, quantò *vegetiùs* & *alacriùs* excussio hæc, (non tamen *intemperanter* & planè *præcipitanter*) perpetratur. Hoc, inquam, sensu, sermo ita est de Febribus, *an dentur veræ species Febrium, quibus hoc specifice proprium sit, Crisibus talibus absolvi, illis*, & *non aliter*, *salutariter* exire? aut contrà: An utique *tales* Crises, etiam tanquam *accidentaliter*, Febribus superveniant? Quo *respectu* adeò hoc ergò fiat? an, etiam ita *accidentaliter*; promiscuè *quibuslibet*: an vero omninò tamen *certis* Febribus, *tales* Crises competant? Secundùm hos inquam veros constituendæ hujus quæstionis *limites*, ubi illa in hodiernum usque diem resoluta sit, (præter ea, quæ, ut ipse fatetur, in hoc scribendi genere tumultuario, nequaquam exquisitè pro tota dignitate objecti, deduxit D. D. Præses, Disp. *de Acrisia in febribus*,) ingenuè fatemur nos latere.

V.

Tertium harum rerum specimen, est illud, quod in præsentia pro *Specimine Inaugurali* exhibendo elegimus; sororium omninò huic modo exhibito secundo, sed ausim dicere adhuc minus exquisitè, quod tamen non magis postulat, quam meretur, in doctrina medica usitata determinatum. Est hoc *exquisita Periodus*, *statis* temporum mensuris planè *definita*, *continuarum* febrium; quâ tales, omninò *sine Crisi*, *stricto* illo sensu sumta, *ambitum* suum ita absolvunt, vt passim reverà satis *exquisitè* secundùm has *mensuras*

suras

ſuras, non ſolum *initia ſalutarium* exituum facere incipiant: ſed etiam *termino* ejusdem, & *plenioris*, & *conſtantioris* ſalutaris eventus compotes fiant.

VI.

Hujus rei, certiſſimum eſt, plurimam quidem mentionem factam eſſe ab ipſis antiquiſſimis, & ex his ipſo etiam *Hippocrate*; translatam etiam illam ſatis ſtudioſè ad ipſos usque noſtros dies: Interim eſt utique etiam nihilo usquam minùs certum atque manifeſtum, quod nec ipſe *Hippocrates*, neque poſteriores, hanc ipſam rem condignè ſecundùm verum ſui habitum evolutam dederint. Quod quidem de *Hippocrate* tantò minus mirum eſt, cum ipſe magis *hiſtoriam* ſolam affectuum commemorare, quàm quaslibet illorum *diſcretiones* proſequi, propriè cordi habuerit: Interim *Galeno*, exquiſitiorem Hippocraticarum traditionum *explanationem* aggreſſo, videtur revera etiam obſtitiſſe præjudicium illud, ac ſi *Hippocraticis* (& è quibus ille certiſſima quæque probabiliter collegit, *antiquiorum*,) obſervationibus ita ſimpliciter inhærendum eſſet, ut etiam, quæ ipſi non *diſertis* verbis reliquiſſent, vel *addere* ſolum, nedum in ſenſum, rebus, uti reverà reperiuntur, commodiorem, decente deductione flectere & convertere, piaculum foret.

VII.

Perplexam autem perpetuò habuit totam hanc rem, indiſcreta illa commemoratio *acutarum Febrium*, *Criſium atque temporum κρισίμων*, & *periodorum* febrilium *citrà veræ criſeos energiam*, tamen *ſalutariter* exeuntium.

IIX.

Confuſio enim certè, ut rem vero nomine appellemus, eſt, quæ totum negotium veritatis *ſtrictè* dictarum *Criſium*, in hodiernum usque diem tanquam perpetuis tenebris immerſit, quod non ſolùm morborum *acutorum* cum *Febribus* acceſſoriis, ſed etiam *Febrium* adhuc magis primariarum, *brevi periodo*, & inprimis *ſtato*, exire ſolitarum, nulla ex-

preſſis verbis determinata *diſtinctio*, verè conſtituta atque ſtabilita obſervatur; ſed inprimis etiam ipſa hæc, *ſtrictè* dictarum *Criſium* conditio, imò veluti ditio, non debitè finita, & veris ſuis limitibus comprehenſa habetur; nempe ubi reverà *Criſes* exſpectare ita conveniat, ut tanquam per illius morbi aut Febris *eſſentiam*, *certò* evenire, debeant: quomodo ſe tunc genius & ſucceſſus *affectûs* etiam reliquus, habeat atque gerat? An, inquam, tunc nihil quidquam, quod aliàs κρίσιμον ſimul haberi debeat, (ubi *Criſes* eveniunt,) in his talibus *periodis* aut *ſucceſſibus*, conſiderandum veniat?

IX.

Quamvis autem utique impoſſibile ſit factu, citrà hujus confuſionis ſolidam extricationem, etiam uni harum rerum, & inprimis noſtro propoſito, ſatisfacere; Quia tamen non æque univerſas has res ex inſtituto exſequi nobis incumbit: ſed illam unam antè omnia, quam nobis propoſuimus: Ita ſervabimus ad minimum hunc ipſum maximè ordinem, ut omninò quæ huic maximè conveniunt primo loco abſolvamus.

X.

Antè omnia itaque obſervandum utique eſt, quod equidem *Criſes* ſtricto ſenſu ſumtæ, (nam de aliis rebus, ſub *Criſium* nomine loqui, mera inſipientia eſt,) omninò contingant *temporibus ſtatis*; & quæ utique *à Criſibus* inde κρίσιμα dicuntur. Sed, quemadmodum unius poſitio, juxta Philoſophos, non eſt alterius negatio, ita comprehendere facile fuerit, *duas* eſſe quæſtiones, differentes utique, quamvis interim circà rem unam eandemque: nempe 1) an *Criſes*, ubi eveniunt, in febribꝰ, eveniant *ſtatis & exquiſitis* quibuſdam febris totius *temporibus*? & 2) an febri, etiam citrà *Criſin* ſtrictam, in uſu ſint *certæ* atque *ſtatæ* ſucceſſuum & exituum ſuorum menſuræ?

XI.

Imò verò, ſi paulo magis intendere animum atque ſolertiam, ut omninò convenit, ſuſcipiamus, reperiemus ex

his ipsis diversis considerationibus singularum harum rerum, prognasci adhuc quæstiones super *societate* illarum, seu *respectibus*, quos una ad alteram ita habet. Nempe 1.) an mensuræ illæ *statæ*, sint absolutè & directè, *Criseos* ipsius in se, & *quà talis*? an vero 2.) *Febris* ipsius: aut ad summum 3) reciproco respectu iterum α) Crisis, *ut cum* Febre: an vero β) *febris* ut cum *crisi*?

XII.

Huic rei, ut decenter satisfiat, meminisse antè omnia oportet, quod Crisi, stricta acceptione, nunquam locus sit, nisi in *Febribus*. Benè vero *Febri* locus sit, sine *Crisi stricti* sensus. Cujus rei documentum apertissimum est ipsa hæc quæstio, toties in schola Medica, seu potius inter *Practicos*, non tam mussitando, quàm potius obmurmurando repullulans, *an etiam veræ dentur Crises*? Cum nempè utique compertum quàm maximè habeant, dari *Febres acutas*, sine *hujus sensus Crisibus*.

XIII.

Interim, quam aperta etiam ita apparere possit hæc prima res, pro formanda inde subsumtione illa, certe non levicula, quod *Crisis*, quandocunque cum circumstantiis ipsi maxime debitis evenit, non eveniat nisi *in Febre*: Imò verò, quod huic æquipollet, quod circumstantiæ *Criseos*, inter quas præcipua est *stata mensura* temporis, nunquam eveniant, nisi *in Febribus*: Manet tamen adhuc omninò consideratio illa altera, an hæc inprimis circumstantia, *exquisitæ* mensuræ temporis, etiam *in Febre*, simpliciter & unicè *sequatur* seu comitetur *Crisin*? an verò *Crisis*, hac ipsa maxime circumstantia sequatur *Febrim*: Ita, inquam, ut hæc circumstantia magis propriè sit *Febris*, etiam *sine* stricta Crisi?

XIV.

Licet autem hanc rem vera Febris *Pathologia* luculentissimè & promptissimè expediat, monstrando nempè, quod

utique universum *Febris* negotium consistat in *excretione* rerum noxiarum; sive illa *placidè* magis obsequatur, ut *successibus* expelli possit: sive tanquam ad *unitam vim*, resistat, & ultimo quasi *conatu* demum, seu *connisu*, depellenda veniat: erit tamen commodum, methodo rerum Naturæ maximè conformi etiam hic insistere, adeoque ad historiam ipsam seu experientiam respicere.

XV.

Est autem hæc iterum, in omnium Praxeos cum qualicunque etiam, nedum cum debita solertiâ, compotum, ore & unanimi consensu, quod nempe *Febres acutæ*, etiam ita, *stricto* illo sensu, *ἄκριτοι*, (ut inde etiam *dubitatio* illa invaluerit, *an revera dentur Crises*?) tamen omninò servent *tempora Critica* aliàs dicta: nempè non solùm, uti quidem sciunt veri Practici, *indicatorios* dies, in edendis signis *coctionis*: sed etiam ipsos inprimis *septenarios*, *prima*, *secunda*, *tertiâ* periodo.

XVI.

Maximo vero omninò jure provocare etiam hic licet ad illud phænomenon practicum (quod etiam Disp. *de Acrisia* commendatum est) quod non solùm multi mortales, qui *febribus acutis* moriuntur, mortem ipsam inprimis subeant *circà* dies *Criticos*; ita, ut vel *sexto*, *tyrannico* inde dicto, vel ipso *septimo*, vel sub finem *septimi*, moriantur: verum etiam cum talibus circumstantiis atque phænomenis, quæ reverà, si sine omni præoccupatione æstimentur, *conatus* quosdam, *apparatus criticos* repræsentent, successu solum debito destitutos. Utpote cujus rei si justa ratio habeatur, facilis utique fuerit decisio quæstionis *famosæ* ipsius, an utique, si non æque faciles *salutares Crises*, tamen *apparatus* ad illas, *molimina* atque *conamina* pro illis perpetrandis, satis *sæpè* occurrant, licet *rariùs* feliciter succedant aut *exeant*.

XVII.

XVII.

Sicut autem ita elucescit, præsertim communi experientia teste, quod *Febres*, etiam sine *confessa* crisi, tamen *periodos* tales sequantur, quæ etiam *Crisi*, si quæ subest, locum quasi proprium præbent; ita, antequam ipsa *ætiologica* hujus rei deductione velut ad conclusionem totius negotii propius accedamus, præmittemus prius ipsam utique historicam hujus negotii, nempe *Febris* etiam *citra* ordinem adstrictam *Crisin*, usitatam *periodicam* rationem.

XIIX.

Præmittimus tamen velut in parenthesi, breviter, quod utique, sicuti *Crisis*, stricto sensu, & ut *statæ periodo* addicta, non *intermittentium* aut *chronicarum*, sed *continuarum*, & vulgari acceptione *acutarum* Febrium sit consectarium: ita dum etiam de *periodo* sermonem hic instituimus, de *continuis* his, & usitato nomine *acutis*, proprie loquamur

XIX.

Quamvis hæc ipsa veluti parenthesis, justam novam epenthesin provocet, documento futuram velut omni exceptione majori, quod *periodus septenaria*, quæ maximè alias *Critica* agnoscitur, Febribus *quà talibus*, & minime quoque *criticis*, adeoque sine respectu etiam ad *Crisin*, competat. Est autem hæc Autoritas ipsius Magni *Hippocratis*, (licet illam res ipsa non æque confirmet, si stricto sensu famoso accipiantur,) nempè, quod etiam Febris *tertiana septem* paroxysmorum *periodo* absolvatur. Cum enim nec apud *Hippocratem*, nec usquam aliàs, quod sciamus, observatum occurrat, quod *Tertiana*, stricti sensus *crisi* solvatur: Multò minùs, quod Crisi illa, *septima periodo*, de qua loquitur, eveniente hoc fiat: Est utique hinc spontaneæ consecutionis, quod hæc periodus *septenaria*, huic febri *simpliciter* propria esse debeat, *sine ordine ad Crisin*.

XX.

Secundùm hæc ita ſe habentia, eſt utique, tanquam *hiſtoricè*, de hac *periodi* febrilis indole propria, ſciendum, quod Febres *continuæ*, præter *Hecticam* omnes, & inprimis quidem quæ, vulgato loquendi uſu, *acutarum* nomine veniunt, evidentem talem circumſcriptam *menſuram* decurſus ſui ita ſequantur, ut per *ſeptenarios*, & horum *medietates*, *tertios & dimidios*, (quod in *quartum* cujusque ſeptenarii incidit,) has tales mutationes exſerant, ut vel *ſpem luculentiorem* legitimi exitus exhibeant: vel ipſum *exitum* ſui, inprimis *ſalutarem*, admodum *ſenſibiliter*, imò verò ſubinde prorſus *evidenter*, exhibeant. Ita quidem, ut inprimis *intermedii* illi, *quaternarii*, indicia boni ſucceſſus, per ita dicta *ſigna coctionis* conſpicua, exhibeant: *Septenarii* vero ipſi, partim ſenſibilem *euphoriæ* perceptionem, qualis & quanta præcedentibus diebus, quin ipſo hoc toto die, non fuerat, introducant: partim, remiſſione *caloris & pulſus*, partim *quietis*, imò *ſomni* reverſione: partim *ſitis* & *inappetentiæ* imminutione, beneficam ſuam energiam teſtentur. Tantò magis autem hæc omnia *proximo*, & poſt hunc *ſequentibus*, diebus, ita in melius augeſcant, ut in omnes ſenſus incurrat, ab illis maximè diebus, mutationis *in melius* verum initium proceſſiſſe.

XXI.

Famigerata hoc maximè nomine hinc fuerunt Practicis, ab omni antiquitate *ſigna coctionis*, eorumque *primus* quaſi comparendi terminus, *quarta* die primi ipſius ſeptenarii. Jam ſi hæc benè conſtituta compareant, eſt, conſentientibus ab omni antiquitate Practicis, major ſiducia, ſecuturum eſſe non ſolum *in genere*, ſecurè *felicem* exitum; ſed etiam *in ſpecie*, ipſo hoc primo *ſeptenario*. Non quidem promiſcuè, quacunque poſt *quartum* die; ſed magis velut exquiſitè *ſeptimo*, & *à ſeptimo*, ultrà procedentibus: Nempe *augmento* hujusmodi *euphoriæ*, non autem æque poſterio-

rioribus talibus diebus indifferenter, ſenſibili demum euphoriæ *initio*.

XXII.

Imò verò, differunt potiùs hujusmodi affectus, ulteriore menſurâ ad veram euphoriam, ea ratione, ut, niſi ab ipſo *ſeptimo*, *initia* ſatis manifeſta ſumſerit, non ſolùm nihil antè *undecimum* bonæ ſpei capeſſere ſit integrum; ſed etiam nec ipſo quidem *undecimo* aliquid ſolidi aut *ſecuri* exſpectare liceat: ſed demum *decimus quartus* ſincerioris euphoriæ quaſi vadimonium det: Et quidem non ſimpliciter, ne quid *pejus* amplius eveniat, ſed etiam ut ſenſibiliter in *melius* progrediatur totum negotium. Notandum enim illud meritò eſt, (quod etiam peculiari Programmate explicuit D.D. Præſes,) quod etiam *nona* dies, vulgatiſſimâ infamiâ laboret; nempe unanimi conſenſu hominum, à conſtante traditione profectò, quod nonus dies ſit *metuendus*: unde nusquam ab illo exſpectatur, ut *poſitivè boni* quiddam præſtet, ſed ſimpliciter *privativè*, ne *noceat*: Neque adeo ab illo die directè exſpectatur conſpicua converſio in *melius*, ſed ſolum *imminutio* certioris veluti *periculi*, quod non ſolum *antè* illum, ſed juxtà receptam opinionem, inprimis *ab ipſo*, exſpectari ſoleat. Idem fere valet etiam de *undecimo* die, eo reſpectu, ut, ſi ille toterabili patientis conſtitutione tranſeat, tantò certior bona ſpes eſſe poſſit, de morbi per ipſum *decimum quartum* felici exitu. Quicquid autem *decimum quartum* etiam excedit, illud vel *langueſcente* jam univerſo impetu, ita ſenſim usque ad *vigeſimum* languidè procedendo, dehinc etiam pariter aliquantò languidius ad meliora reverſurum exſpectatur: vel, ſi etiam tunc demum adhuc *funeſtus* exitus ſequatur, certior eſt totius decursûs *turbatus* ordo; aut novæ *accidentales* depravationes *motuum* & *exituum*, *ſorte* aut *arte* intercidentes, ſi res accuratiùs perveſtigetur, in culpâ fuiſſe deprehenduntur, ut liberum ſuum curſum perſequi talis Febris non potuerit.

XXIII.

Est hujus rei exemplum etiam in ipsis maxime *Exanthematicis*, *Variolis*, & *petechizantibus*. Sicut enim nemo adhuc, Medicarum acceptionum quantumcunque mediocriter peritus, ipsas v. g. *variolas*, pro Febre *famoso* sensu *Critica* agnovit; utpote in qua utique nulla *stricti ambitus*, & plus minus *simultanea*, excretio verè *stata*, locum habet: Et quemadmodum hæc per *universum habitum* corporis *indifferenter* erumpentes pustulæ antiquis in sua allegatione *abscessuum criticorum*, adeò non in mentem venerunt, ut licet etiam ipse *Hippocrates*, mentionem injiciat *pustularum* juniori ætati erumpentium, quæ aliqui ita pro *variolis* & *morbillis* accipiunt, ut hinc maxime nota fuisse *Hippocrati* hæc ipsa exanthematum genera, contendere suscipiant: nusquam tamen certè reperimus, quod illa per modum *criticæ apostaseos* expelli, definiat.

XXIV.

Ita habent interim utique hæ exanthematicæ febres eam *periodum*, ut vel *à tertio indicia*, certè vero *à quarto initia*, eruptionis faciendo, *plenam* hanc nunquam, bonâ fide, *proximo*, aut *altero* die, penitùs absolvant, sed sibi constantes, ad *septimum* usque eruptionem plenam: & posthac simpliciter ad *maturescendum* aptam, evidenter absolvant: Hinc autem ad *undecimum*, *suppurando*, & inde *rumpendo* & sensim *siccescendo*, ad *decimum quartum* usque totam *periodum* expleant. Sicut autem hoc in *tranquillo*, & nihil turbulento, *Variolarum* successu revera hac maxime ratione sese habent; ita, ubi sive justæ eruptioni, sive inprimis succedenti maturationi, impedimentum eximium obtingit, admodum familiare est, nisi planè insolens subsit perturbatio, mori etiam ægros ipso *undecimo* die. *Quo*, aut exquisitè *ad quem*, cum in toto hoc affectu nihil utique, quocunque tandem sensu *Criticum* exspectari possit; cum nullum nobis succurrat exemplum, quod etiam *maturatio* plena, imò *ruptio* matu-

rati *abscessus* ad certos tanquam peculiares *Criticos* dies aut mensuras, stricte alliganda veniat: Ita è diverso, longè facilior hic esse potest *periodica* ratio, ut hujus Febris *statis periodicis* diebus, non tam vera aliqua *crisi*, quam reliquis *successibus* morbo debitis, non ad præfinitum tempus obsequentibus, per hæc ipsa tempora negotium malè cedens penitus dimittatur.

XXV.

Jam de *petechialibus* febribus, unanimis propemodum est auctorum consensus, quod illorum exanthematum eruptio planè nihil *critici* habeat, aut haberi mereatur. Ex eo præcipuè, quod *maculæ* etiam erumpentes, quam maximè affatim, quantitate & qualitate saturatiore, *euphoriam* speratam nullam adferant. Interim, licet D. D. Præses prægnantes rationes habeat à multiplici experientia, quod *placida* & nihil importunè *festinata* eruptio horum exanthematum, (per ipsam hanc moderationem, *quantitate* & *qualitate* æque *leniorum*, atq; intemperantibus artificiis expulsoriis, si omnino obsequantur, & quantitate & qualitate immodicâ, posthac parum boni successus admittant, quam variolæ aut morbilli eadem immodestia exagitati) quod, inquam, ita exeuntes hæc maculæ, omninò patientes vere *sublevent*: Et, quantumlibet etiam omni jure aliquid ita *periodici* atque *stati* in his febribus agnoscant, ut vel ipsa *eruptio* eo maximè tempore sœpè satis *incipere* demum soleat, quo aliàs *crises* obtingunt præsentiores, nempe ipso *septimo* die: (*Quo intuitu etiam, tanquam secundò, eo sensu crisi æmulam hanc interpretatur eruptionem, ut omninò simpliciter symptomaticæ contradistinguendam asseveret*:) Ita nec est tamen, stricta acceptione, verè *critica* hæc ipsa febris: omnimodò vero ita *periodica*, ut quibus inprimis *maculæ* planè *non* apparuerunt, (*mitiore* affectu, & anteà omnia etiam *tractatione*, alicubi etiam sub concursante *diarrhœa*) multa exempla observaverit Febris hujus, ipso *septimo* die ita manifestò

nifestò in melius conversæ, ut non solùm sequentibus, velut *in horas* majorem euphoriam exhibuerit: sed etiam ipsa *nocte* diem hunc secuta, placidiore *quiete*, & *somni* hucusque velut absolutè alienati recursationibus, efficaciam suam *periodicè salutarem* satis ostenderit.

XXVI.

Quid, quod omninò etiam quibus non æque ita conspicua, & planiùs manifesta obtingebat *euphoria*, *septimo* die, illis sæpenumerò *undecimo* die hoc ita eveniebat, ut hinc usque ad *decimum quartum*, etiam evidentibus *incrementis* ad sensibilem euphoriam egregiè increbescentem fieret progressus. Quod quidem aliquibus, quamlibet paucis etiam, ita ipso *quarto* die contigit, ut vel lectum omittere in animum inducerent, nisi expresso mandato cohibiti, etiam sentientes denique, acuratiùs commonefacti, quod suæ res, è *virium* inprimis sensibili impotentia, nondum securo loco constitutæ existant: cum *septimi* ipsius transitum exspectavissent, velut ad omnem sensum tunc maximè demum experti sunt, quàm parum ille prægressus *apparens* euphoriæ sensus, cum illis *successibus*, qui nunc demum sincere, & veluti passibus alacribus procedebant, conferri meruerit.

XXVII.

Quemadmodum autem hæc res nec apud ipsos antiquos ita absolutè clarè atque disertè tradita aut tractata est; Ita nec etiam à successoribus, clarè, & ex instituto, definita habetur. Intervertit nempè totam considerationem hanc justam, intricata illa & perplexa opinio, quasi *septenariæ* periodi non essent, nisi simpliciter & *absolutè Criticæ*, *stricto sensu* sumenda voce Criseos; ut adeò, ubi nulla *Crisis* manifesta atque vera sequatur, ibi nulla etiam *his diebus* alia *mutatio salutaris* locum inveniat: aut illi propterea ita *indifferenter* haberi possent, ut, si nullum manifestum appara-

ra-

ratum *criticum* oſtendant, de reliquo neque *nocendi*, nec etiam ullo modo *utilitatem* præſtandi, compotes exiſtant.

XXIIX.

Quæ interim Opinio tanto plus incommodi habet ex eo, quod veræ tales *criſes*, reipſa neque ullis Febribus *ſpecificè* perpetuæ ſint; ita, ut quæcunque etiam febres, quæ *aliquando* criſin exſerunt, innumeris exemplis aliis, etiam citrà criſin rectè iterum ſanentur: Nec etiam ex ipſis exemplis his numeroſiſſimis, (talis inquam exitus febrium, quo patientes equidem iterum ſanentur, nulla vero proprio ſenſu criſis concurrat) aliud quidquam confici poſſit, quam hoc ipſum, quod inde per univerſam poſteriorem ſcholam Medicam factum eſt, ut nempè vel inutiliter, ne quid de planè ſtupidis confuſionibus dicatur, *criſes* illæ à veteribus non nominatæ magis, quam prolixè memoratæ, longè magis *irritis phænomenis*, & paſſim quidem etiam reverà magis *fictitiis*, quam ſincerè reperiendis, adſcribantur: vel ingenuè potiùs confitendo, quod hujusmodi criſes verè oppidò rariùs eveniant, hoc ipſo in dubium vocare totum negotium, *an* etiam *vere dentur Criſes*? Aut ita ad minimum dentur, uti *Hippocratis* locutio præ ſe ferre videtur, *quod talia tam in Lybia atque Scythia quam in Delo, Co, atque Græcia, eadem ſemper* ſint, & pari ratione ſe habeant.

XXIX.

Poſſet quidem, inquam, etiam hæc ipſa res, quod paſſim acutæ febres *ſalutariter* decedant, quamtumlibet nulla vero Hippocratis aut Antiquorum ſenſu *Criſis* ſequatur aut celebretur, negotio ſatisfacere; interim cum aliis apparere poſſet, quaſi mala fide, ſubterfugiendo, mutare ſtatum quæſtionis in animo nobis eſſet: qui nempè proprie non in eo verſatur, an febres etiam citrà veram ſtricte dictam *criſin*, *ſalutariter* exeant: ſed an ad ejusmodi exitum omninò qua-

liscunque ſit habitus aut reſpectus illarum *periodorum atque menſurarum* temporis, quales *criſibus* tanquam ſtrictiſſimè debentur: inſiſtemus propterea omninò preſsè huic propoſito, aſſeverantes, quod omninò acutarum febrium *ſalutaris* exitus, non ſolùm intra *generalem* acutam *periodum*, abſolutè fieri debeat: ſed quàm maximè ſecundùm *quaternarios* & *ſepternarios* ita ſoleat procedere.

XXX.

Damus hujus rei prædes, celebria illa apud omnes Practicos non tumultuariòs, ſed doctos æquè atquè peritos, *ſigna coctionis* in urina. Hæc ut in verè ſecutura ingenua *criſi*, non poſſunt ſimpliciter abeſſe, quin *indicatoriis* diebus ſeſe ſiſtant: Ita ſciunt tamen etiam modò dicti characteris *Practici*, affatim, quod in qualibet febre *acuta*, è qua, in noſtris inprimis regionibus, etiam nulla exſpectari debeat vera *criſis*, tamen ſi verè acutus, & nihil anomalus, etiam *ſalutaris* exitus ſperari debeat, omninò *ſigna coctionis*, ipſis *indicatoriis* diebus nihilò magis abeſſe, aut obſcura eſſe debeant. Unde certè, licet reliqua Uroſcopia tale ſit negotium, quod propter vix evitandum abuſum, Medicus cordatus nimiò plus fovere minime debeat: Habet tamen in hoc genere, ad conſiderandum ſtatum *coctionis*, diſpoſitionis inquam *ad ſecretiones & excretiones* debitas, uſum in *acutis* minimè negligendum: Cum certum omninò ſit & immutabile, quod Febres acutæ, in quibus vel primo *indicatorio* die, urinæ non ſolum nihil *coctæ*, ſed inprimis (*præter* externas cauſas eximiè concurrentes) valdè *tenues* perſiſtunt, & eadem quidem ratione, uti inde ab initio decubitus, in hac, inquam, circumſtantia, fuerunt, certò regulariter ſint peſſimæ ſpei: Ex adverſo verò, ſi jam etiam ab hoc ipſo die bonæ *coctionis* ſeu ſeceſſionis ſigna liberaliter præſto ſint, ipſius illius *periodi* ſeptenario morbum talem ſolutum iri,

ne-

neque nisi ab externis, *accidentalibus* forte interversionibus, metuendum aliquid subesse, certissimum existat.

XXXI.

Hæc est proprie constitutio illa peculiaris, de qua Febres vel crisi vel λύσει terminantur: Et quidem omninò secundùm idem *tempus*, quod aliàs & vulgò, *Crisibus* tanquam proprium reputatur, quoniam omninò iisdem altrinsecùs proprium existit: Ut nempe *Crisis* vera utique nunquam fiat, nisi *exquisitis* illis periodis: Interim autem utique *periodi* illæ propterea non *unicè* ad crises *reciprocè* alligatæ sint, ut nullæ existant, nisi ubi dictæ *Crises* locum habeant.

XXXII.

Rectissimè inquam, uti quidem Practicis peritis atque cordatis notum est, valet de hoc negotio, quod etiam λύσες tales, *statæ*, diebus inquam illis iisdem, quibus aliàs etiam *crises* eveniunt, quam maximè salutariter obtingant. Nempè *manifesta mutatio morbi in melius*, qualis proximè prægressis diebus nequaquam, nec in tali eodem ægro sentiebatur: nec in aliis etiam *verè*, *usitatè*, & quoquo modo *constanter* evenire sentiatur.

XXXIII.

Ne vero etiam ἀπράκτοις fictionibus hic pateat locus, quæ omnis generis minutias non solum veras & quomodocunque reperiendas, conquirunt, ut ex illis *crisin* exsculpant; sed etiam quæ non fiunt aut verè reperiuntur, vanis extensionibus fingere malunt, quàm ut rem ipsam experiri possint: Est omninò necessarium simul adjicere veras demum illas *conditiones*, sub quibus unicè *salutaris* hujusmodi verè *periodica* λύσις, *& non aliter*, locum habeat. Est hæc autem successiva *placida*, uti *secretio*, ita etiam *excretio*, *materiæ peccantis*, sive in *propria* magis adhuc sua, sive jam quadantenus *alteratâ*, consistentia.

XXXIV.

XXXIV.

Hæc *ſecretio & excretio*, perpetratur, non tàm *promiſcuè* quibuslibet diebus; imò, neque dierum promiſcuis veluti *partibus* aut *ſucceſſibus*: ſed omninò tàm numeri *dierum*, quam *horarum* veluti diariarum, ſpecialioribus, & omninò peculiaribus, *opportunitatibus. Numerus* dierum comprehendit inprimis illos, qui mox à primo *indicatorio* ad primum *ſeptenarium* pertendunt; aut ab hoc etiam ad *ſecundum* usque. *Succeſſus* autem ſpecialior, &, uti non immerito innuimus, velut *horarius*, in ipſis jam ita reſtrictis diebus, comprehendit quam maximè rationem illarum horarum, in quas *paroxyſmorum* qualiumcunque, in *continuis* præſertim febribus, *remiſſiones* incidunt.

XXXV.

In his inquam *proprie* temporibus fiunt *opportunæ* ejusmodi, *ſucceſſivæ*, & per *vices commodas*, tam *ſecretiones* quàm *excretiones*; quæ *pedetentim* ita ſubtrahant illud, quod ſtrictè dictis *criſibus*, confertim *ſimul & ſemel* excuti aliàs debuiſſet. Quamvis autem hoc ita omninò ſatis commode procedat, minimè tamen vel *uno* aliquo tali die, vel etiam omninò talibus pluribus, abſolvitur ſenſibiliſſima illa *plenior* in melius converſio: quàm ipſis demum propriis *periodicis*, & verè, reſpectu κρίσεων plenarum κρισίμοις diebus, nempe *ſeptenariis*.

XXXVI.

Adeò quidem, ut etiam *ſigna* illa, quæ Hippocrates etiam ipſi *Criſi* bonæ adſignat, in hujus generis vera λύσει ſalutari, omninò pariter ita ſeſe gerant; nempè illius maximè *Critici* demum diei *nox* fiat manifeſtiùs *tranquillior*, quam præcedentis cujuscunque: Maximè autem poſthac magis magisque manifeſtiùs, ad ſenſibiliſſimam *euphoriam* omnia undique progrediantur. Quamvis enim etiam, ſi hæc ita ut omninò decet proſperè procedant, etiam de die in diem non obſcura planè ſit aliqualis euphoria; *paulo minor*, inquam,

quam, quam inde ab initio, *inquietudo*, *anxietas*, *agrypnia*, imò totius exacerbationis vehementia: Minimè tamen comparanda est cum illa, quæ ita vere post *septenarios* obtingit, λύσει salutari, neque 1) *gradu*, neque 2) *duratione* respectivâ; dum altera quidem illa per *horas* tantum aliquas, usque ad *novum paroxysmum* durat: hæc verò nullas amplius incommodas novas successiones incurrit: 3) *continuatione*: dum aliorum dierum qualiscunque tolerabilior euphoria, minime servat continuitatem: Hæc autem potiùs de die in diem feliciter increbescit, quàm ut denuò, nisi quidem per infaustum accidens, pejus cedere posset aut soleret.

XXXVII.

Quamlibet autem utique hæc ipsa talis in melius conversio, non absolutissimè perpetuò par sit illi, quæ strictè dictis *crisibus* succedere solet; utpote quæ, (nisi quidem evacuatio *critica* per accidentales quascunque causas modum nimium *excesserit*, adeoque *debilitatem* insignem post se trahendo, reliquæ euphoriæ perceptionem temeraverit,) etiam reverà vel per *horarum* successus magis magisque in sensum incurrit: Sicuti præterea duo statim indicia sui exquisitissima exserit, 1.) *animi alacritatem* evidentissimam: 2.) *pulsus febrilis* remissionem longè manifestissimam: ita non desunt tamen ipsi etiam illi λύσει ita *salutari*, *periodicæ*, & præsentiora mox, jam ab ipsis illorum dierum *noctibus*, sensibilioris euphoriæ, incomparatione ad prægressos dies, indicia, imò testimonia: Et *succedentium* etiam dierum, ad sensum magis magisque augescens harum earundem rerum in melius conversio; nempe 1.) *alacritatis animi*, atque etiam securitatis, adeoque majoris tranquillitatis, ad *somnum* usque pacatiorem: Et 2) *remissioris* æquè atquè vegetioris etiam, si prius debilior fuit, *pulsus*. Quibus quidem rebus uti decrescentis *sitis* consecutio, ita etiam *appetitus*, illius quidem postliminiò consurgentis, hujus moderatè resurgentis, vestigia legit.

XXXIIX.

Hæc res cum *tribus* modis frustrari possit luculentam perceptionem, est omninò cavendum, ne ulli horum vel occasionem præbeas ipse, vel ille aliunde oblatæ, solertiam fallant. *Primum* harum frustrationum genus, est nuda *opinio Theoretica*, vera Praxeos animadversione destituta, quæ duas perturbationes objicit: dum 1.) per præconceptam opinionem de *necessitate completæ criseos*, quicquid huic non quadrat, simpliciter ut *heteroclitum* reputando, ne quidem fieri *utiliter*, *posse*, nedum *solere*, sibi concipit: 2.) occœcato hac ratione intellectu quascunque potius circumstantias supponere, imò fingere potius laborat, quam rem, ut in se verè existit, decenter observare & agnoscere.

XXXIX.

Secunda offensio, versatur in eo, quod, cum veræ & completæ *Crises*, reverà sint rariores; imò si quis proinde non in satis numerosa Praxi constitutus sit, occasio ad has res sufficienter perspiciendas, illi non solùm *rarò*, sed fortè *planè non* obtingant; ut ille hinc totum negotium κρίσεων pro vano interpretetur, adeoque etiam *periodos* septenarias in genere, pro cerebrina quadam re & speculativo magis figmento interpretetur. Interim tamen dari etiam tales viros, Praxi non solum potitos, sed illi etiam solerter invigilantes, qui, quamlibet de *Crisi* vera & perfectâ, assensum plenum præbere dubitent, (negantes, & quidem ex optimis fundamentis *bonæ tractationis* febrium, quod sibi luculenta simpliciorum Criseων experientia obtigerint,) tamen veritatis & energiæ *periodorum* acutarum certissimi existant, multis exemplis notum habeo Præses.

XL.

Tertium, & ferè tam vulgatissimum, quam potentissimum circà hanc rem scandalum, est *perversa tractatio* Febrium, antè omnia per *medicationes*, etiam famosas hodiè; tum

tum quoque per *domesticos* ausus, & plebis sciolæ temeraria consilia. In oculos propemodum passim hoc incurrit; moneo autem atque cohortor tanto magis ego Præses, ut hujus rei non magis solers, quam merito sollicita quoque, ratio habeatur, utpote in qua sola vera clavis ad hæc adyta recludenda consistit: Ut videlicet non tam intricatissimum illud negotium, & quolibet labyrintho impeditius, occupetur, disquirendi, *an*, *ubi*, *quatenùs*, in tractatione Febrium, tam versipelli atque polymorphâ, per singula exempla, fortè *offensum* esse possit: sed ut, simplicissimâ viâ, verissima autem pariter, & infallibili, observationes circà hoc negotium, instituantur in illis patientibus, (quorum profectò passim ingens est copia,) qui in Febribus acutis, inprimis *Epidemicis*, citrà ullius, aut certè ullius effatu dignæ, medicationis interventum, terminantur. Nequè quidem simpliciter ad *salutem*, sed in aliis ad *salutem*, in aliis ad *mortem*. E quarum rerum tùm simplici *observatione*, tum mutua *comparatione*, tum ad heteroclitos deinde eventus, qui per temeraria artificia consequuntur, *collatione*, non poterit fieri, quin luculenta veritas in oculos affulgeat.

XLI.

Hæc offendicula quando cum debita circumspectione evitata sunt, (quod tamen revera non est superficiarii ingenii aut laboris,) tunc demum comparet luculentius, quid *sibi relictæ*, & vere *sibi constanti* Febri, competat in hoc ordine, successuum inquam & exituum, *periodo exquisitæ* respondentium. Quomodo videlicet equidem *excretiones* rerum noxiarum, per motus Febriles secretorios & excretorios, opportunis *successibus*, ab ipsis diebus *indicatoriis* jam sumto initio, usque ad *septenarium* fiant, *placidæ*, & per *partitas vices*, exonerationes: Et hoc contra methodum veræ *κρίσεως*, quæ *confertim*, *uno tempore*, atque *impetu* aliquo potius absolvitur: A *septimo* vero die porrò, etiam jam sensibilissime *absoluta*, imò hoc die velut *obsignata*, pleniore

 exo-

exoneratione omnis noxiæ materiæ, jam ſenſibilis reſtitutio euphoriæ locum ita habeat.

XLII.

Sicut autem tota hæc res, per imperitos æque & minus attentos circa ipſa facta & hiſtoricam indolem febrium, nedum à ſolida febrium ætiologia alienos, paſſim confunditur; imò per veræ ætiologiæ defectum, non poteſt non confundi: Ita dicendum omninò eſt de hac re magis ex inſtituto, & ſunt tam notandi, quam declinandi errores, qui in hoc negotio poſſunt, imò ſolent, offenſiones introducere. Error nempe circa hoc negotium *primarius* eſt ille, quod contra omnem & *hiſtoricam* veritatem ſolidam, & quæſtionis verum proprium nervum atque unicum ſcopum, fingatur *duplex* talis irrita adſertio; 1.) quod etiam *ſucceſſivæ Ecriſes* utiles atque *ſalutares*, vel verè fiant ſtrictâ acceptione dictis *criticis* diebus: vel 2.) quæcunque tandem *excretiones*, cum qualicunque *euphoria*, etiam qualibuscunque demum *ſucceſſibus*, magis magisque abſolvendæ, contingere ſentiuntur, illæ habendæ ſint pro *Criticis*, *ſtrictiore* ſenſu intellectis.

XLIII.

Unde quidem, quicquid usquam *Hippocrates*, *latè*, *ambiguè*, &, niſi quidem cum vera peritâ æque atque prudente diſcretione enucleetur, etiam *confusè*, de his rebus usquam protulit, illud ita penitùs intricatur, ut loco decernendæ veræ *diviſionis diverſitatum realium*, potius omnia in *generalem* quandam ταϱαξιν conjiciantur: & jam *fluores* ſanguinis per *binarios*, jam *ternarios*, jam perfectæ *Criſes quintæ* diei, jam *languidus* ſucceſſus plurium dierum, ficto tamen contrà veritatem practicam initio à ſtricti ſenſus *critico ſeptenario*, venditentur: jam τελείωσις criſeos, *abſolutio* tandem *languidarum* exonerationum, alieniſſimo ſenſu, ad *laudem perfectionis*, ſeu *maximè laudabilem modum* perpetrandæ Criſeos, detorqueatur. Quibus omnibus rebus

bur. hoc unum agitur, ut nudæ *historicæ* relationes Hippocratis, quid observatum sit, seu *apparuerit*, evenisse, ad alienissimam intentionem inflectuntur, quasi hæc pro *regula* essent, secundùm quam *simpliciter* & *ordinariè* fieri, non tam *solerent*, qualicunque eventu, sed *deberent*, *directo* effectu, excussiones stricto omnino sensu *Criticæ*.

XLIV.

Quæ confusiones ut omninò evitentur, adhuc semel, tanquam spicilegio complectemur *historicam* tàm *enarrationem*, quam *discretionem*, harum rerum: simul autem etiam *diversitatem* earundem, tanquam pari *historica* ratione indicabimus: *Rationem* autem veram diversitatis, & non magis *distinctionis* mutuæ, quam optimæ *administrationis* diversæ, tandem denique subjiciemus.

XLV.

Est itaque, verè classico sensu, & meritò distinguendo ab aliis febrium successibus quibuscunque, *Crisis* ejusmodi actus, quo, in febre *acuta*, seu *brevis periodi*, *stato* quam maximo die, *exoneratio* aliqua, *spectabili connisu*, & maximè *vegeto successu*, perpetratur: mediante qua aliquid è corpore, *manifestò*, & satis *largiter*, evacuatur: quod vel *quantitate*, vel *qualitate*, corpori molestiam creâsse, aut damnum objecisse, satis luculenter judicari possit: Cujus proinde *excretionis* talis, *vegetæ* atque *liberalis*, sufficientem successum, *euphoria* non solum reliqua *prompta*, imò plane *præsentanea*, insequitur: sed etiam ante omnia *Febris*, præsentissimam commotionis suæ *remissionem*, imò ingentibus passibus *cessationem*, ab hoc principio assequitur. Hanc talem *Crisin* notant veri Practici apophthegmate illo usitatissimo, *Nihil paucum esse Criticum*: Et monent jam pridem, quod *parvæ* excretiones *criticis* diebus emicantes, malæ, aut ad minimum *infidæ* sint.

XLVI.

Quicquid extra *talium dierum*, talium *motuum*, talium *exonerationum*, talis *euphoriæ*, talis *cessationis Febris*, impetrationem evenit, id *inane*, imò *infaustum*, quin *pessimi præsagii* ducunt. Unde nota sunt in schola Medica encomia dierum, quibus *in genere* quidem, alii *incremento*, alii *statui*, alii *crisi*, alii *declinationi*, tribuuntur, *in specie* verò, ab incremento ad crisin numerantur, *indicatorius*, post hunc *vacuus*, post eum *tyrannus*, tunc denique *criticus*. Quas res ut illi, qui in dubium vocant, *an verè detur Crisis*, ex uno latere pariter in discrimen adddducunt: ita ex altero latere, & quidem uti videri volunt oposito, in idem tamen omninò discrimen conjiciunt, illi, qui Crises ita *in quoslibet dies*, quemlibet *ambitum* quantumlibet *segnem*, imo imperceptibilem *successum*, inani speculatione detorquentes, revera abutuntur intricatissimis, si ad veritatem atque distinctionem revocari debeant, hujusmodi locis *Hippocratis*, quibus magis dehonestatur apud iniquiores industrii viri existimatio, quam ut ipsi ulla *auctoritas*, nedum rebus ipsis *veritas*, hinc asseri posset. Cum potius per simplicissimam methodum hermenevticam, imò verè ipsam simplicem rationem, verùs sensus auctoris, aut verarum *rerum* perceptio, è multoties repetita, & multis modis *restrictâ*, harum rerum apud ipsum descriptione, monstrari, imò potius stabiliri deberet: si potius salvandæ ipsius auctoritati litandum esset, applicando nempe ejus traditiones, ad *res* uti *verè sunt*: quàm, vanissimo ausu, *sparsæ* ejus, *fugitivæ*, atque *singulares* quædam locutiones, temerè *pro normâ* assumi, secundùm quas fingendum sit *res* se habere, quarum experientiam nullam habeas.

XLVII.

Altera vero *historiæ* harum rerum pars versatur in eo, quod omninò secundùm mensuram periodorum *indicatoriarum*, ad *Criticas* vulgò dictas, (nempe quibus *Crises* omninò fiunt, ubicunque verè fiunt) successiones, nempè *septe-*

pte-

ptenarios dies, *successivæ placidæ* evacuationes ita fiant, ut indies aliquid subtrahendo de tota quantitate materiæ morbidæ (sive *causæ*, sive *producti* rationem illa habeat,) hac methodo sublevata Natura, ipso tandem septenario plenam *euphoriam* recipiat, & tanquam absoluto tandem negotio, sinceriùs iterum acquiescat. Hujus rei numerosa exempla habuisse sese profitetur D. D. Præses; Ut nempè omninò in *petechizantibus*, quando urina illa, mox inde ab initiis turbida, *quarto* die etiam *sedimentum* deponere incipiebat, observatis dehinc decenter reliquis etiam circumstantiis & decente tractatione, patientes tales ab illis maximè diebus, *per subsequentes*, usque ad *septimum*, sub *remissionibus* ex acerbationum quotidianarum, *moderato sudore* eveniente, de die in diem hinc tolerabiliores experirentur novas exacerbationes: simul autem *euphoriam* reliquam, tanquam ad manifestum planè sensum, eximiam: *septimo* denique die, citrà peculiarem aliam *evacuationem* effatu dignam, & ab illa, quæ præcedentibus diebus pariter facta erat, vel quantitate, vel qualitate insigniter differentem, posthac talem euphoriam manifestam assecuti sint, ut non solum statim illam *noctem* quietiorem habuerint, sed tantò magis etiam *proximo* die, nedum *sequentibus*, & *febris* cessationem, & omnium febrilium incommodorum *omissionem* obtinuerint: solâ *virium* recuperatione adhuc exspectandâ, quæ tamen revertente ita *quiete*, & *appetitu* quoque denuò gliscente, sic satis promptè colligebantur. Et hæc methodus ubicunque locum inveniebat, occupabat certissimè omnem proventum *macularum*; ut planè nullæ evenirent: Quando verò locum non inveniebat, simpliciter nempè & velut absolutè magis; ibi emergens tamen talis *stata* (moderata *sudatoria*) auctior *transpiratio*, promovebat non solum *moderatum* etiam proventum, successum, & eventum, *macularum*: sed erat tantò magis conspicua, ab ipso maxime *septimo* die, sensibilis in melius mutatio: ut, cum vel à *quarto* ad *septimum*, vel

(&

(& ferè familiariùs,) ipso *septimo*, *maculæ*, *parvæ*, aut valdè *dilutæ*, apparuissent; sensibilis planè ægri alleviatio proximorum dierum succesfibus inde secuta sit. Contrà usitatam traditionem scriptorum; qui à *macularum* eruptione patientes nihil juvari, communiter asserunt: quod tamen, nisi forte de solis *pestilentibus* verum haberi possit, de his *non* planè *pestilentibus*, nequaquam valet.

XLVIII.

Ut verò etiam, omnis confusio funditus tollatur, & imperitis rumoribus, & indoctæ acceptioni *Criseos*, occasio subtrahatur, considerandum est omninò utique, quod *Febris* indoles *absoluta*, tota inquam, ut in scholis loquuntur, *essentia*, consistat simpliciter, in *excretione materiarum noxiarum*: Et quidem *ordinata* utique, & omninò *temporis* opportuna mensura circumscripta; nempe maturitati ad *secernendum*, & post justam secretionem etiam *excernendum*, respondente. Interim differentia hujusmodi *effectus* febrilis *generalioris*, omni modo *secretorii* & *excretorii*; & actus *specialis*, *Critici*, fundatur utique simpliciter in eo, quod febrilis quidem *simplicior* exoneratio, intrà statæ quidem periodi ambitum, justis moderatis *successibus*, absolvi soleat atque debeat: *Crisis* autem certo veluti *termino* ejusmodi periodico, non tàm longioribus *successibus*, quam potius vegetiore quodam *continuo actu*, exerceatur & absolvatur.

XLIX.

Quæ res, ut ipsi veritati simpliciter superstructa est; nempè secundum verè solenniorem acceptionem *Criseos*, ipsi Hippocrati, seu potius verisimillimè omni jam antè illum ætati medicæ, usitatam: ita tenenda omni modo est, ad evitandam tam omnem frivolam circà has res *confusionem*; tum inprimis imprudentem abusum aliquorum locorum Hippocratis, in quibus ille hujusmodi *febriles excretiones*,

quia

quia utique à Natura fiunt, (nusquam enim *Medico* τὸ κρίνειν aut ἐκκρίνειν temerè tribuere obſervatur,) *Criſeos* vocabulo, aut *Eccriſeos* fortè, deſignat: Aut omiſsâ, omnino decenter, *Criſeos* appellatione, ſaltem qualescunque *evacuationes* in Febribus *proficuas* commemorat: quas, quia *Criſes* etiam *evacuationibus* abſolvuntur, imperitè propterea *Criſibus* ſimpliciter asſignando, *generalis Febrium eſſentialis efficacia*, cum ſpecialisſimo conniſu *Critico* confunditur.

L.

Nec verò eo magis etiam, ex hoc ipſo fundamento, confuſioni huic occaſio permitti debet; ab illo Febri potiùs *ut febri*, quàm ſimpliciter *Criſi* ſpeciali, competente phænomeno, nempe *periodo* intra certorum dierum ambitum comprehenſa. Sicut enim ſtrictæ acceptionis *Criſes*, ſecundùm omnes inde ab Hippocrate exquiſitiores Commentatores, ita abſolutè ad ſpecialiſſima tempora, *dies* inquam *certos*, (imo potius *horas*,) pertinent, ut etiam proximus *dies antecedens*, pesſimi ominis, & proinde *tyrannus* nomine, habeatur, in primo maximè ſeptenario: *tertius* autem ante illum, etiam *vacui* nomine notetur: Ita ex adverſo febrilis *generalior*, *eſſentialis* tamen utique, exoneratio *ſucceſſiva*, fit maximè his diebus, jugiter usque ad *ſeptimum*. Ita, ut illo ipſo, nequaquam nova, imo ne quidem certo *plenior*, harum evacuationum veluti abſolutio, contingat: ſed potiùs ſimplex, tanquam penitùs abſoluto jam penſo, *requies*, verè, inquam, εὔφορος (ſit venia verbo) acquieſcentia.

LI.

Et hæc eſt illa, inſignis utique, diverſitas, ſecretionum & excretionum, quæ febri ſimpliciter *quà tali* conveniunt; & ſtrictiore ſenſu, imò plane proprio, *Criticarum*. Neque hoc ſolùm, ſed temporis etiam, ſimplicius *periodici*; omnino tamen *ſeptenarii* ambitu circumſcripti: & ſimpliciter at-

que stricte *Critici*. Imò, *modi* etiam exoneratorii; qui in febre, intrà suam periodum est omnino *successivus*: in *Crisi* vero, parvo ambitu, aliquot horarum, *simultaneus*: in periodica tali febrili *successiva* exoneratione, *successivam* etiam *tolerantiam* meliorem, septenariis autem manifestam pleniorem *euphoriam* præ se ferens: in *Crisi* autem vera, euphoria, non nisi manifestissimam *vegetiorem* exonerationem, aut, rarissimis exemplis, peculiarem præsentaneam *mutationem* secum ferens.

LII.

Usus, qui ex his veris considerationibus redundat, antequam declaretur, poterit adhuc considerari *historia* velut ejus, inprimis in *exanthematicis* illis febribus, *Variolis*, *Morbillis*, *Petechiis*. Sicut enim in his omnibus atque singulis, *excretio* etiam quantumcunque facta, propterea tamen non simpliciter & absolutè *tollit Febrim*; utpote quæ non solùm usque ad *maturationem*, pristinum, sed sub hâc propemodum majorem adhuc, gradum servat: (Dum etiam, quamdiu *retrocessioni* materiæ adhuc est locus, non potest omitti directio illa atque detentio circà loca exteriora, ne temerè in totam massam humorum, nedum ad interiora, fiat recursus) Interim omni modo, tota *Febris essentia*, in successiva tali atque placida *præparatione*, *perpetratione*, & ad ultimum *conservatione*, hujusmodi *excretionis*, proprie fundatur: Ita quantò magis tamen hæc *excretio*, *placidè* atque *liberè* procedit, eo certior est etiam sensibilis *euphoria*, maximè tamen à *septimo* ad *decimum quartum* magis magisque pleniorem sui gradum consequens. Ubi tantò magis notatu dignum est, quod etiam illi patientes, qui (modo sine tumultuosissima mala tractatione,) adhuc post septimum *intereunt*, familiariter mortiferum exitum sortiantur ipso die *undecimo*: in quo tamen aliquid ulterius, aut quoquo tandem modo atque sensu, *criticum*, à nemine exspectabitur.

Ut nempe etiam hinc locus ſit conſiderationi, quod in hoc negotio non tam ullius *criſeos*, quàm potiùs ſimplicioris *periodi*, *ſtatæ* utique, energia ſubſit.

LIII.

Tantò magis autem illuſtrat hanc rem Febris etiam non acutæ, *Tertianæ*, verus ſucceſſus; modò nihil ab ulla importuna arte turbatus, ſed ſimplici continentia tranquilla adjutus. Hac enim ratione, uti primarium *fomitem* tertianarium, vel *concoctio* ſucceſſiva, vel conveniens *exoneratio* ex ipſis *primis viis*, ſublevat, imò ſuſtollit: ita eradicat penitus, ipſa demum *ventilatio diaphoretica placida*, debito paroxyſmi *tempore* præſtita: Neque vero tam unquam ſimpliciter *una jugi* ſudatione; quam *repetitis*, per tres, quatuor, paroxyſmos, ejusmodi ſudoris modeſtis *proſecutionibus* (ſpontaneo ejus proventui, ſub dextro moderamine indulgendo.) Sub quo regimine, ſicut neque diei ullius reſpectu, neque *promptioris*, nedum *ſimultaneæ*, exonerationis ope, ſed paroxyſmorum veris juſtis *ſucceſſibus*, felix obtinetur effectus: Ita omninò fit hoc per indolem febris *quà talis*, *ſecretoriam* & *excretoriam*; non tamen tam *in genere* ſolùm opportunam, ſed omninò magis in ſpecie *ſtatam*, ſecundum *paroxyſmos* ipſos: Adeoquè eſt utique etiam in hoc ipſo effectu adhuc propriè ſpectabilis, illa ipſa hujusmodi *ſucceſſivæ* exonerationis energia, ut ſecundùm tales exonerationes *repetitas*, revera ſemper *ſequens* paroxyſmus, manifeſtò mitior æque, atque multo brevior ſit *præcedente*: imò ita plusquam geometrica, ut loquuntur, progreſſione, tota Febris ad ſalutarem finem properet.

LIV.

USUS autem verus atque ſolidus hujus ita diſtinctæ rei, ejusque conſiderationis exquiſitæ, eſt omninò eximius duplex: unus *hiſtorico-theoreticus*: alter *Therapevtico-Practicus*.

LV.

Ille, consistit in vera *notitia* diversitatis, strictæ acceptionis *Criseos*, & ad illam pertinentium non solùm *dierum* plane *propriorum*; Sed etiam *apparatum* solum *propriorum*: Et contrà veræ atque realis, *ordinatæ* omnimodo, & *determinatis* etiam *successibus* insistentis, SUCCESSIVÆ inquam, exonerationis febrilis. Quomodo, inquam, *Criticæ* febrium terminationes, servato velut in *unum diem*, & materiæ penu, & excretionis impetu, tunc demum *simul & semel* absolvantur. In *periodico* vero, sed tamen *intra suum* etiam *ambitum incluso*, SUCCESSU, exoneratio talis omninò *paulatim*, nequaquam tamen sine *ordinatis progressibus* fiat, & maximè in solidum tandem *salutariter*, tunc quidem & satis *alacriter*, desinat.

LVI.

Secundus autem ille usus, consistit maximè omnium in prudentissimis, *periodicorum* inprimis talium SUCCESSIVORUM exoneratoriorum motuum, observationibus atque moderationibus: Sicuti *criticorum* adhuc magis necessariis hujusmodi *æstimationibus*. Sicut enim de his posterioribus nemo usquam Praxeos conscius in animum admiserit, quod non solum *Crises* tales DIRECTE *imitari* aut *supplere*, arti sit concessum; sed adhuc minus, quod tale quid *indifferenter*, *quolibet tempore*, quibuslibet *diebus*, præstare sit integrum: Ita non est etiam illud temeritati imperitæ dandum, ut vel illas SUCCESSIVAS *periodicas* exonerationes, vel *ante tempora* periodica exagitare, vel præcipuis periodi veluti *cardinibus*, graviter *confundere*, & alienis *turbationibus* in transversum agere, pro re levi, nedum nihili, ducatur. Imò potius, & pro *positivo* usus hujus stabilimento, etiam illa simplicior *perversio ordinis* atque *methodi Naturalis*, caveatur, ne etiam in illis successivis exonerationibus *ordo* temerè pervertatur, ut *impetu* potius aliquo, quidquam agendum reputetur, quàm ut illis Naturæ *spontaneis*, *moderatis*, & per *alternationes* et-

iam

iam *statas* variantibus *successibus*, commodè subserviendo, etiam in eo rationi conformis *methodus* teneatur, ut *excrecretio* non solum secundùm modulum *secretionis*, sed etiam maximè secundum hujus veluti *partitas vices*; rectissimè exercenda agnoscatur.

LVII.

Hæc, inquam, est debita illa *Cynosura*, secundùm quam Medicus cordatus, *indolis* Febrium, imò *rationis* illarum præcipuæ, & consequenter etiam rationalis artificiosi *moderaminis*, atque subsidii ferendi, intellectu potitus, ante omnia *privativè* instruere debet suam methodum; ut nimirum *caveat*, ne his *succesſibus* & *progressibus* Naturæ spontaneis, *intentis* atque *sollicitis*, temerè præjudicium aliquod afferat: *turbet ordinem* secernendi & excernendi *generaliorem*; *mensuram* vero exquisitissimam actionum Naturæ *specialiorem*. *Positivè* vero, ut omninò magis *invigilet*, *successivis* potiùs illis, *tranquillioribus* atque *placidioribus* febrilis *secretionis* & *excretionis processibus*: quàm ut minùs peritè, & proinde etiam communiter infeliciter, ubique stricti sensus *Crises* speret: quod utique, sed omninò verè *sano sensu* intelligendum, Medici Practici meritò dissuadent.

LVIII.

Interim tamen etiam in hoc proposito nudas *crises non sperandi*, seu negotium Naturæ simpliciter non relinquendi, sed potiùs per *successivas tranquillas exonerationes* absolvendi, quod tanquam in unam acervum relinquendo, difficilius sperari posset rectè eventurum, *periodi*, tempestivorum inquam maximè *successuum* æque, atque universi harum rerum *ambitus*, & certissimus sit, & dexterrimè studiosissimus.

LIX.

Ita demum & illud verè percipiet, quomodo Febres etiam passim *sine Medicis*, aut quibuslibet *externis artificiis*, *sponte* & *ordine* vero atque perpetuo, *successibus* inquam & *mensuris* certis, optatum exitum assequantur: Et proximum

ab hoc, quomodo Febres, *alienis* artificiis, *contrario modo* tractatæ, aut ad minimum, in hoc *sui progressu*, *turbatæ*, heteroclitos & insolitos *progressus*, *mores*, & *exitus*, nanciscantur. Assumendo, pro regulâ inculpabili, observationem illam sincerissimam, quomodo *ejusdem speciei* Febres, sese gerant in patientibus, planè nullo *artificio* usis; tum aliis *artificio* quocunque usis: & denique, *certo uno* artifice usis. Quæ res iterum iterumque observanda utique veritatem hactenus dictorum abundè commonstrabit.

LX.

Ut, quantum fieri potest, etiam *Practicam* aliquam quasi manuductionem ex his naturæ semitis assequamur; advertendus antè omnia est animus, ad *signa coctionis*, quæ diebus *indicatoriis* se manifestare solent: Utpote quibus apparentibus, tantò magis observandæ sunt *subsequentium dierum* opportunitates, non solùm *generali* provido *regimine*, quod *transpirationis* quamlibet tardationem præoccupet: Sed etiam *in specie*, per qualiumcunque *paroxysmorum* decursus, *sensibilioris exonerationis sudatoriæ* legitimum liberum, imò liberalem placidum successum, promoveat potiùs, quàm ullo modo intervertat.

LXI.

In quo interim vero *opportunitatis* tempore revera longè plurimum situm est, in diversis speciebus febrium. Sicut enim v. g. in *Variolis*, & *morbillis*, talis veluti per *paroxysmorum* dimensiones distributa *excretio sudatoria*, etiam planè nullum usum aut effectum, habet; siquidem horum Exanthematum successiva exclusio, propriè & legitimè planè nullam *sudatoriam* excretionem, nedum in *stata* tempora, & inprimis *alternando*, distributam, sociam aut ministram habet: ita esset certè alienum, directo quodam hujusmodi *regimine*, tali *sudatorio* scopo operam navare velle: Interim esse etiam in his ipsis febribus eo magis prudenter observanda, & scitissimè regenda, illa tempora, quibus, *per individua*, percipi solet, quod patientes *ægrius* habeant, (daß sie um solche Stunden unru-

ruhiger / ängstlicher / heißer / aut generali locutione, kräncker werden) ut maximè sub hujusmodi commotionum finem, debita *continentia* eò tranquillius servetur, facilè suadebit solertius attendentibus, non magis ratio, quàm ipsa maximè circumspecta experientia.

LXII.

In talibus autem Febribus, quæ vel *jugem continuitatem* excretionis *halituoso-sudatoriæ* indicant; vel sensibilioribus *paroxysmis*, *progressus* æquè atque *exitus* succesivos prosequuntur, est certè longe major ἀκρίβεια decentis moderaminis necessaria: Priore casu, nequid intervertatur: Posteriore, nequid invertatur. *Prioris* exemplar, uti olim fuisse memoratur in *Sudore anglico;* ita profert ejus etiam exemplum notatu longè dignissimum *Sydenham*, de *malignâ febre* post *pestem* adhuc gliscente; quæ cum in patiente quodam neque medicamentis auscultaret, nec etiam spontè ullam quietem ferre videretur, quin summis *anxietatibus*, & multiplici *vomendi* conatu, ægrum miserrimè haberet; adhibito solum, sub quantalibet *tranquillâ continentiâ*, regimine, ad eliciendum motum humorum *sudatorium*, & hoc etiam ita, sine aliis pluribus artificiis secuta, mox placidior reddita, imò, continuato tali moderamine, etiam salutariter in ordinem redacta est.

LXIII.

Alterius autem exemplar præbet inprimis Febris *petechizans*. Servat hæc, quando *simplex* est, nec etiam *turbatur*, non solùm *invadendi*, sed etiam quotidie *exacerbandi*, statas horas; nempè *vespertinas*, *occasus æquinoctialis*. Circà has inquam horas, & *invadit* primo, & *recrudescit* sequentibus diebus: *angustiis* anxiis, *æstu* ferociore, *siti*, *capitis* & *dorsi* doloribus, *agrypnia*, & omnimoda magna *inquietudine*; quod vulgò tanquam unâ summâ complectentes efferunt: Um den Abend werde der Patient allezeit viel kräncker: Durant hæc ita ultrà *mediam noctem*, imò vel ad *gallicinium*, aut *diluculum solstitiale*: Ubi sensibiliter mitescendo, spontaneam *uvidam transpirationis* intensionem post se trahunt, (pro facilitate patientium etiam *sudatoriam*,) cum sensibili, post duas aut tres horas, (*moderati* successus) majore *levamine*, nedum *remissione* acerbiorum illorum affectuum.

LXIV.

Hæc autem talis *successio* evacuationis hujusmodi, sicuti ante *quartum* diem rarissimè succedit, ita ab illo die in posterum, ita utique dexterrimè observari postulat, ut nihil omnino in illa temerè negligatur, nedum, quod antea innuimus, *invertatur*. Sicut enim omnis *paroxysmus* Febrilis, propriè est *apparatus ad certam excretionem; secretione* tantisper adornata, secuturæ *excretioni* viam sternens: Ita non potest utique, sine manifesto periculo, ordo hic temerè *inverti*, ut nempè impulsus ad *excretionem*, (inprimis *importunius sudatoriam*,) *versus* paxoxysmum, nedum *in ipsum* paroxysmum instruatur,

LXV.

LXV.

Sicut enim *ordinatus* ille ſucceſſus *ſudatorius*, *legitimo* tempore factus, *periodicis* inquam ante omnia *diebus*, deinde etiam *paroxyſmis* ipſis, reverà animam quaſi conſtituit, ſalutaris ſucceſſus & exitus ordinatiſſimi hujus Febris: Ita *pervertit* præſentiſſimè, *intempeſtiva*, imò perverſa, aut potius *inverſa*, *commotio* hujuſmodi, in ſe, & decente ordine, ſalubris exonerationis, omnem bonum ſucceſſum, & tantò magis univerſum eventum. Siquidem ita patientes, vel ſimpliciter, & tanquam *in genere*, *anxiis* & *turbulentis turgeſcentiis* ſubjiciuntur: Vel *ſpecialiùs*, *copioſiſſimis ſaturatis*, *maculis*, paſſim etiam cum interſperſa aſperitate *purpuræ miliaris*, ita exponuntur: Cum *faucium* & *oris* aphthoideis *malignis* inflammationibus, *mentis* alienatione, *convulſionibus* in mortem deſinentibus. Qualia certè omnia, niſi *periodicorum* horum *ſucceſſuum*, ab *indicatorio* AD *ſeptenarium*; & habita ſit optima ratio, & reſponderit etiam voto, perplexa ſunt & periculoſa omnia: Si vero hæc obſerventur, & ita etiam obſequenter ſuccedant, ſunt omnia reliqua ita in proclivi, ut, niſi quidem merè ἀπὸ μηχανῆς aliquid alienum irrumpat, tota hæc febris ſinceriſſimè *periodo ſeptenaria* abſolvatur. Nempè non ſolùm ab *indicatorio* ad *ſeptenarium*: Sed præcipuè etiam *inter* hos dies, per *ſingulos* inquam horum, plane commenſuratis propriis, non ſolùm in genere *boris*; Sed in ſpecie, *paroxyſmis*, id eſt, *ſecretorio excretoriis* ſucceſſibus, omninò per partitas vices, licet intra certam periodum, generaliorem febrilem indolem, (non ſpecialiter ſolùm excretoriam, *Criticam*, ſed) *ſecretoriam*, & *ſecundùm hanc excretoriam*, præſtantibus.

LXVI.

Quamvis autem in hac maximè febre tam ſpontaneus talis ſucceſſus, quam ejus per artem obſervata potius promotio, quam admiſſa forte interverſio, totum quaſi momentum felicis, ante omnia vero maturi exitus, abſolvunt: Ita ſunt tamen in nulla etiam alia acuta febre, ullo modo negligendi pares ſucceſſus periodici, in aliis etiam acutis: Id quod tanto facilius comprehendi poteſt ſine dubio de ipſis diebus indicatoriis, quicquid etiam de ſucceſſu, ſive ſimpliciter periodico eccritico, ſive critico, expectandum veniat. Cum enim indicatorius dies propriè initia prima faciat placidæ ſecretionis, imò excretionis aliqualis; Et hoc omnino ita exquiſitè ſtato tempore: Facilè certe fuerit comprehendere, quod tali die, qui juxta ſtrictam acceptionem, ipſius maximè criſeos quaſi primitias fert, & primum quaſi fundamentum jacit, hoc tali inquam die, aliquid temerè turbare, tantundem valeat, quam toti poſt eum ſucceſſui præjudicium obtuliſſe, aut turbam conciviſſe.

TANTUM.